

niarum mutuarum inscripserunt et impignorauerunt, vsque tempus redempcionis, et insuper pro preteritis seruiciis prefatorum stipendiariorum infra certum tempus futurum, rursus certa summa pecuniarum persolui debebit. Quamobrem optant iidem domini Prelati et Barones, ac totum Regnum, vt nos prefatam redempcionem locorum et prouentuum impignoratorum, ac etiam dictam futuram summam pecuniarum dictis stipendiariis persoluendam, cum omnibus pactis, condicionibus, obligaminibusque exhinc factis et secutis in nos recipiamus et assumpmamus, ipsosque Prelatos et Barones, ac totum Regnum ab huiusmodi solucionibus et pactis exonerare et subleuare dignaremur. Nos itaque Vladislaus Rex prefatus considerantes singularem illam deuocionem et affectionem prefatorum dominorum Prelatorum et Baronum, ceterorumque Regnicolarum, quam erga nos in eiusce- modi electione habuerunt. Volentes eisdem aliqualem gratitudinem nostram ostendere et alioquin animaduertentes premissam ipsorum ordinacionem ac delibera- cionem iustam et honestam esse, preinsertos articulos et omnia in eisdem con- tenta laudauimus, approbauimus et ratificauimus, laudamusque, acceptamus, appro- bamus et ratificamus, promittimusque in verbo nostro Regio ac fide nostra Chri- stiana mediante et sub honore nostro: quod eosdem articulos in omnibus eorum clausulis et punctis, semper inuiolabiliter et absque omni immutacione obserua- bimus, et tam per Reginalem Maiestatem, quam omnes alios nobis subiectos simili modo faciemus obseruari, harum nostrarum, quibus sigillum nostrum est appensum, vigore et testimonio litterarum mediante. Datum in castris exercitus nostri prope villam Farkashyda Sabbato proximo ante festum ad vincula sancti Petri Apostoli Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo, Regnorum nostrorum Hungarie etc. Anno primo, Bohemie vero decimo nono.

(*Sigillum Regium pendens.*)

Orig. membr. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 63.